

ut aliorum sententias recte perspiciant, partim ut veritates evidenter explicent. Nullum equidem magisterium in rebus theologicis rationi concedimus, Philosophiæ tamen usum prudentes Theologi non averfantur, quia Deus hominibus ratione præditis sua arcana manifestavit, multaque sunt tenenda, quæ ex sententiis Scripturæ consequuntur, licet expressis verbis non occurrant. Bene *Augustin.* de Doctr. Christ. l. II. c. XXXI. *Cum ergo sint veræ connexiones, inquit, non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est, veritatem connexionum etiam in Scholis illis discernere, quæ præter ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in Sanctis libris ecclesiasticis investiganda est. Qui bella Domini gerere, ejusdemque revelatam veritatem propagare & defendere suscipiunt, non solum lingvarum peritia & philosophiæ scientia armati, sed etiam virtutibus Christianis ornati accedant, in certaminibus sacris maxime necessariis. Et sic in genere svadeo, ut disputaturi sincero pietatis studio ardeant, & vivam fidem vitæ sanctimonia demonstrent, quod consequentur, si devotas preces ad DEUM fundant, & frequenter legant, quæ ad excitationem a Christo, Apostolis, Patribus aliisque Theologis suppeditata sunt. Hoc pietatis studium non solum ad divinorum mysteriorum γινώσκω, verum etiam ad eorum propagationem & defensionem multum facit. Optime B. noster Calov. Hag. Theol. Præcogn. p. m. 24. *Voluntas, inquit, habeatur perpurgata ab affectibus. Nam qui affectibus ducuntur & reguntur carnalibus, quanto doctiores evadunt, tanto majori damno sunt Ecclesiæ. Renuntietur propriæ voluntati, Matth. 16. v. 24. absint a studio Theologiæ**

giæ